

XXVI. Ex hac definitione excluduntur I. qui illicitis & malis mediis finem bonum consequi cupiunt, qualis Pericles qui ut beata sit patria & antecellat reliquæ Græciæ, media non recte elegit, cum duriora edicta proposuerit adversus Megarenses, quam debuisset, quibus deinde irritavit Lacedæmonios II. qui non finem justum intuentur, nec media recte quærunt, ut Monetarius Rex Anabaptisticus & Pontifices, qui non hoc quærunt ut Doctrina recte propagetur: sed ut ipsi potentiam diu alant & voluptatibus fruuantur *Stigel. d. l. p. 554. & seq. 3.* qui de honestis mediis & fine licito consultant, sed nimis tardè aut præcipitanter *Mag. d. lib. p. 614.*

XXVII. Hinc constat duplicem esse consultationem, I. *Absolutam* seu universalem, quæ est de summo fine assequendo *Eustrat. d. l. p. 268. Col. 2. n. 50. 2. Particularem* quæ de singulari aliquo bono, sic Imperatori bonum est victoria, mercatori lucrum *Giph. d. l. p. 503.* sed non de hac sed illa nostra definitio *Thomas d. l. lect. 8. p. 109. Col. 1. D.*

XXIIX. II *Σύνοσις* *Perspicacitas, sagacitas seu intelligentia* quam *Cap. 10.* hic non late sumemus, uti prorsus eadem sit cum *Prudentia*, sicut *Demostheni* qui in oratione funebri illã virtutum omnium principium esse dicit, finem vero fortitudinem 2. nec eadem cum cujuslibet rei cognitione *Giph. d. l. p. 504.* quia non æterna nec contingentia omnia complectitur, sed angustissime: pro ea quæ officii respectu à *Prudentia* diversa est, *Prudentiæ* enim munus est quid facto opus sit aut non sit præcipere aut imperare, sagacitatis autem, judicare de eo quod prudentia agendum censuerit atque præceperit *Eihicus noster Clariss. M. Christoph. Neander hic.* hinc definitur habitus sive facultas prudentiæ præcepta & decreta maximeque aliorum dicta & facta examinans.

XXIX. III. *γνώμη* *sententia* quæ veluti prudentis anima, quæ *Cap. 11.* altiora discutit & concludit *Casus in spec. moral. d. l. p. 434.* unde viri æqui & boni de dictis & factis aliorum, rectum judicium esse dicitur *Donalds d. l. p. 298.*

XXX. Habet & hæc duas species I. *Candorem seu equitatem* quæ eorum est, qui in meliorem partem aliorum dicta & facta interpretantur & æquas ferunt de illis sententias *Mag. d. l. p. 620.*